

de Justit. & Jur. Tr. 2. Disputat. 94. num. 12. Andr. de Isernia Comment. in Jus Feud. tit. quib. mod. Feud. num. 11. seqq. Verum ⁴² sicut hi graviter hallucinati sunt; ita illi mentem Jcti non recte assecuti fuerunt. Nec ullius vel erroris vel impietatis argui potest Ulpianus si sententiam ejus secundum præmissas hypotheses examinemus. Cum enim lupanaria Jure Rom. permessa essent, nec vita meretricia censuræ & sanctioni LL. subjiceretur; quæstus etiam meretricius non pro turpi vel inhonesto reputari poterat. Proinde distinguendum est inter turpitudinem quæstus hujus naturalem & civilem: non illam, sed hanc Jctus supponit: & licet quæstus meretricii turpitudinem naturalem agnoscat, eundem tamen moribus Romanorum pro inhonesto cenferi negat. Etenim locum hic sibi vindicat observatio *Cornel. Nepot. in præfat. libell. de Vir. illustr. Viror.* Non eadem omnibus æque honesta esse atque turpia, sed cuncta majorum institutis, id est, moribus receptis & lege permittente, judicari. Honestatem igitur quæstus meretricii non ex Jure naturali, quod sibi semper idem est ac immutabile, sed ex lege Romanor. permissiva determinavit, *conf. etiam Mart. Azpilcueta in Encbirid. Confess. & pœnit. cap. 17. num. 36. pag. 390. Bacchov. ad Treutl. vol. 1. Disput. 22. th. 7. lit. D.* Deinde LL. Romanæ cum Reipubl. tranquillitati omnimodo ⁴³ consulere, eique maxime cavere à litium frequentia ac multitudine voluerint, nec omnes actus, nec omnes personas sub censuram suam vocarunt; Imprimis vero vilium personarum nonnullis in casibus rationem plane nullam habuerunt, non quod LL. dedignentur vilitatem ac turpitudinem personarum respicere, ut *Azo in Summ. C. de Cond. ob turp. caus. num. 6. & Duaren. ad d. l. 4. d. condic. ob turp. caus. censent;* sed quod illæ minus vel Reip. tranquillitatem turbare, vel exemplo nocere possent; & sic plus damni, quam utilitatis ex earum notatione in Rempubl. redundaturum esset. Inter vilissimas autem personas referebantur meretrices: quapropter eas quoque indignas LL. observatione & judicaria severitate crediderunt secundum *L. 29. C. ad L. Jul. d. adult.* Quod igitur in aliis tanquam turpe notaverunt, id in me-

retri-